§. VI.

Quæ cum ita ſint, tria inde ſubducimus, in quibus omnis collocata vis eſt & cauſæ ſumma. Primum eſt, fieri non poſſe, ut in Eccleſiam hanc error aliquis irrepat, religioni, probisque moribus contrarius. Cumque in pari crimine ſit, revelatumne quis néget, quod revelatum reipſa fuit, ac ſcire potuit: an contra, quod revelatum nunquam fuit, pro revelato obtrudat; ſequitur horum neutrum in Eccleſiam convenire aliquando poſſe. Ex quo hoc proxime conſectarium fit: Quidquid ab Eccleſiâ credendum divinâ fide proponitur & imperatur, conſignatumne divinis litteris ſit, ANNON SIT, prorſus credi eâdem fide oportere. Neque enim, ut ſcriberent, Apoſtolis mandatum à Chriſto fuit, ſed ut *euntes docerent*. Ac ſcimus, ex Apoſtolis nonniſi duos ſcripſiſſe Evangelium, & in his Joannem inclinatâ jam ætate; Epiſtolas vero, quas dederunt, ex occaſione dediſſe tantum, & quod particularis alicujus Eccleſiæ ita res ferrent. Certe Romanorum jam laudabatur fides in univerſo mundo, cum Paulus gravem illam ſcripſit, & plenam rerum epiſtolam, qua ad pacem eos hortabatur. Et Petrus,

qui

qui in Actis, rerum pene omnium gerendarum dux, authorque fuit, quid! is nihil docuerit, præterquam quod duabus litteris, iisque non longis complexus est? "Constat, inquit Canus eleganter, ut solet „quidem, doctrinæ fidei jam vulgatæ scrip„tionem evangelicam accessisse. Accessisse, „inquam, non præcessisse. C nstat item, „christianam Ecclesiam, & religionem non „litteris primum, sed traditione substitisse. „Constat rursus, fidei doctrinam in Eccle„siâ primitivâ non à scripturis habuisse „authoritatem, sed contra scripturas à tra„ditione: sicut tradiderunt, ait Lucas, qui „ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt „sermonis. „ Quid? quod, ubi de religione agendum cum hæreticis est, Tertullianus ne disceptari quidem causam ex scripturis velit, sed ad Traditionem provocari. (a) Irenæi autem in libro 3tio adversus hæreses, capite quarto similis est locus, detritus ille quidem, sed gravis: *Quid autem, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias?* Id quod mox exemplo ostendit barbararum nationum, quarum multas ait

 in

(a) Legatur Cap. 37. de Præscript.

in *Christum credere sine chartâ & atramento, scriptam habentes per Spiritum sanctum in cordibus suis salutem, & veterem Traditionem diligenter custodientes.* Et vero quis tam est vecors, ut, cum Evangelium annuntiandum est barbaris, incultisque populis, id scripturarum fieri porrectione velit, sitque ab harum translatione ducendum exordium? Atqui à fide ipsâ, à verbo *auditûs*, ut ait Apostolus; à symbolo, in quo scripturarum ne mentio quidem fit ulla, hactenus omnes exorsi sumus. Ad scripturam vero cum subinde advolvimus animum, id eò agimus, non, ut quæramus in ea fidem nostram, sed ut quæsitam, ac plane jam partam roboremus, intelligamusque quod credebamus, si fieri potest, aliquantulo clarius, &, quod rei caput est, actuosam reddamus. Et Protestantes ipsi, infiniti illi laudatores scripturarum annon idem faciunt, more nimirum suo, & quantum optant quidem? Tam enim stultos esse non putamus, ut, cum adolescentulos ad synaxin admittunt suam, persuadere nobis velint, hos scripturarum jam subactos mysteriis esse. Concludamus hunc locum S. Augustini perbrevi quidem, sed verâ sententiâ: is ad Prophetæ illud respiciens, *Nisi credideritis, non intelli-*

telligetis, argumentum inde collegit, quo uno totam, ut ſic dicamus, œconomiam chriſtianæ inſtitutionis complexus eſt: *Initium ſapientiæ*, inquit, *fides*, *fidei fructus intellectus*.

Quodſi hoc nobis quiſquam objiciat, ut eſt Proteſtantibus in more poſitum, quos utinam ex noſtris imitarentur nulli (contemptores iſti ſcilicet Patrum ſuorum, ac ſeſe ipſis ebrii) eſſe doctrinam, quæ monumentis litterarum conſignata non fuit, corruptioni obnoxiam; illibatam ſaltem diu ſine miraculo ſervari non poſſe: huic nos paucis reſpondebimus, miraculum longe maximum fore, ſi aliter fieret. Non enim, quæ hujuſmodi ſunt, dogmata ad colum narrantur, ſed publice prædicantur; publice, non ut verbum hominum, quemadmodum ad Theſſalonicenſes ſcribebat Apoſtolus, ſed ut verbum Dei inculcantur, excipiuntur, retinentur. Quæ pueri audivimus, ſenes replicamus: peregrinantur, ruſticantur nobiſcum, ac quocunque iter facimus, eo & noſtra aſportamus, & noſtra illic reperimus. Sunt eorum etiam non pauca cum actione conjuncta, ut: Adoratio crucis, cultus imaginum, invocatio Sanctorum, Sacramentorum cum adminiſtratio,

tum ſuſceptio. Hæc igitur uſu ipſo quotidiano, ac publico ſe tuentur. Ac quod rei caput eſt, dicendumque ſæpius, ii, quibus cura hujus ſacri depoſiti incumbit, non *ſinguli* ſunt; ſed *corpus*, idque ampliſſimum, latiſſime fuſum, arctiſſimis nexibus conjunctum ac hærens, Sacramentis publicis adjuratum; videret, nequid uſpiam detrimenti religio caperet, nihil addi, nihil demi pateretur. Portentum, hujuſmodi corpus indormiiſſe aliquando totum, ut impune eſſet homini inimico, zizania ſerere! Quanquam ſi miraculo omnino opus ſit, non illud refugimus. Eſt autem non aliud, quam propagatio quædam continens iſtius ſummi, maximique miraculi, cum Filius Dei ad nos deſcendit, teſtis ab æterno Patre datus populis, & Præceptor gentibus. Quod enim iterum, atque iterum monemus, nunquam Eccleſiam ab Apoſtolis, nunquam à Chriſto ſejungi patimur. Eſt autem Chriſtus heri, & hodie, præſentiam ſuam ad finem uſque ſæculorum graviſſimis verbis pollicitus eſt. Hujus igitur procuratione, hujus ſpiritu Eccleſia regitur. Spiritum hunc tollant primum, ſi poſſunt, inimici traditionis; neque tum nos ſane pro eâ amplius pugnabimus.

§. VII.